



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XIII. Oscula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XIII. OSCUA.

Fovea profunda os aliena. Prov. 22. 14. Qui verba, vel oscula, meretricis libenter amplectitur; quasi januam jam gehennalis pullat abyssi: citoque mergetur; si pedem cautus non retrahit. V. Beda lib. 2. hic.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Nota: osculum est Symbolum 1. reconciliationis: cum enim quis alium offendit, reconciliatur ei per osculum: sicut pater reconciliatus est filio prodigo. Luc. 15. 20. 2. pacis, & concordiae. 3. Salutationis, & bonae appreciationis. 4. Amoris & intimae conjunctionis. Omnibus hisce de causis Ecclesia, & anima Fidelis, poseit osculum Christi. Cornelius hic.

Venerus quidam nobilis, morti Parisijs adjudicatus, impetravit, ut fratribus suis ultimum vale dicere liceret. Introeuntes illos scrutati sunt custodes curiosè, nè qua, ad fratrem dedecori, & ignominiosæ morti subtrahendum, arma, vel venenum, inferrent. Verum eorum unus nucem avellanam, præsentissimi veneni plenam, caraque obturatam, in ore deferebat: quam inter amplexus, & oscula, fratris ori inseruit: qui paulo post eam dentibus comminutâ, ac hausto veneno, interijt. Ejus tamen testulæ fragmina in ore mortui deprehensa dolum prodidit. Quare mortui cadaver in rotam tractum, & fratriciadæ ad necem qualiti. Doultreman de am. l. 2. c. 3. sect. 3.

TITULUS XIV. OTIUM.

§. I.

Symbola, & similitudines.

Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis. Ex. 4. 6. Tertull. de resurr. carnis c. 28. Moyses manum in sinum condit, & emortuam profert. Mira lectio Tertulliani. quid lepræ cum morte? ideo manus existimatur mortua; quia in sinum reconditur, ut ibi quiescat, & otietur. Manus ad opus conceditur à natura: ergo, dum otio vacat in sinu; velut in sepulchro sepelitur. Castillo Illat. 39. otiose vivere non est vita.

Et sabbathizavit populus &c. Ex. 16. 30. Sabbathizante Israele coelum non pluebat manna. Quin & aqua putrescit immobilis, & immotus ensis rubigine sordescit, pes quietus obstupescit, & vestem depositam dirus tineæ dens corrodit. Cornelius in Eccl. 22. 2.

Stultus complicuit manus suas, & comedit carnes suas. Eccl. 4. 5. Manus homini datæ sunt, ut illis opportuna sibi, & convenientia, operetur. Otiosus itaque cessator, manus clausas, & complicatas tenens, cum subinde penitentia tangitur, ac dolore tabescit, dicitur merito carnes proprias devorare. Olympiodorus hic.

Invenit eam vacantem. Matth. 12. 44. Rabanus: invenit diabolus hominem vacantem in bonis per negligentiam, & otiositatem. apud Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 3. sect. 2. obf. 2.

Nihil inutilius fuerit homine, qui omne tempus in delicijs, & remissione, consumit. Rubigo quadam apprehendit otiosam animam, & consumit splendorem, ac alia omnia. Quamnam re detergetur rubigo illa? core tribulationum: illa utilem animam facient; & ad omnia accommodam. S. Chrysost. hom. 35. in Acta.

Homo otiosus, inutilis, nasci non debuerat. Frustrâ natus est; lapis marmoreus est, truncus arboris; ficus sine flore, & sine fructu; solum aptus ad ignem. Avis, quamdiu volat, secura est; si sedet, & quiescit, sagittariorum insidiantium sagittâ perfoditur. S. Thom. Vill. D. Septuages.

Horologium. Lem: *Ipsa quies vitium est.*

Aqua Lena: *Servatur motu.* S. Laur. Just. l. 1. de perfect. gr. c. 9. sicut aqua, quæ caret decursu, aut jacet in foveis; putrescit, repleturque animalibus venenatis, & noxijs: ita & corpus, otij labe confectum, concupiscentiarum carnalium parit insaniam. Picinelli.

Argentum. Lem: *Quiescendo nigrescit.* Id.

§. II.

Otium fugiendi motiva.

Ex Veteri.

Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur. Gen. 2. 15. Cum omnibus delicijs